160 26.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſeptimâ menſis Martii, Anno Domini M. DCC. LVII.

M. BERNARDO DE JUSSIEU, Regiæ Scientiarum Academiæ, & Regiæ Societatis Londinenſis Socio, in Horto Regio Botanices Prodemonſtratore, M. JOSEPHI DE JUSSIEU, Doctoris Medici Pariſienſis, Regiæ Scientiarum Academiæ Socii, vices gerente, Doctore Medico, Præſide.

An otioſis frictio?

I.



CORPUS continuis laboribus defeſſum brevi rueret ad interitum, niſi identidem blandâ quiete reficeretur. Hinc ad tuendam ſanitatem, vitamque longius producendam quies & motus corpori, vice alternâ, concedantur, neceſſum eſt. Motûs auxilio, abeunt per innumera corporis excernicula partes excrementitiæ; ſicque ſuccus nutritius purior factus partibus nutriendis facilè applicatur. Motu tenſas nimiùm relaxat fibras quies,

ſpiritus reſarcit diſſipatos, inbecilles refocillat vires. Moderatus uterque ſanitati prodeſt ; uterque ſi nimius, ſanitati quam maximè nocet : ut optimè annotat divinus ſenex ; *omne nimium eſt Naturæ inimicum.* Qui ergo otii lenociniis plus æquo indulgent, vitam ſibi parant triſti morborum cohorte oppugnandam.

Ex morbis, qui otioſos homines circumvenire ſolent, alii eos citò de medio tollunt; alii verò licet periculoſi minus, ipſis vitam ægritudinum plenam faciunt. Ex horum genere ſunt morbi chronici omnes. Vulgares tamen hypochondriaci , arthritis, rheumatiſmus ; quos inter alii magis lancinant ut arthritis ; ſed periodicè tantùm recurrunt : alii autem minus, ſed continuò conſtanterque vim ſuam exerunt, ut hyqochondriaci morbi, rheumatiſmus. Hic autem quandoque ſpontaneo Naturæ victricis conamine diſſipatus recrudeſcit, omnemque remediorum poteſtatem exuperat. Arthritidis medela non tentenda, ne vitatâ charybdi incidat in ſcyllam æger.

Tot malorum cauſam quæſieris ? Serum ſanguinis eſt, quod modo ſalinis velut horrens ſpiculis, modo viſcoſis implicatum paıtibus, varios pro variis quas infeſtat microcoſmi regionibus, morbos valet edere. Si in articulari capſulâ hoſpitetur, arthritidem ; ſi muſculorum occupet membranas, rheumatiſmum ; ſi denique viſcera abdominalia cum deberet permeare, in iis ſtagnet ac hæreat, hypochondriacos gignit affectus.

At quâ viâ ſeroſi humoris perverſitas vitanda ſit, accipe. Vitam age labore moderato exercitam, aut quæ ut exercitii quædam ſpecies poteſt haberi, frictionem adhibe.

I I.

ULLAM peragi poſſe fuuctionem in corpore humano, abſente motu, prorsùs abſonum eſt, cum motus vitæ ſit principium & fons : ſic vitam à morbis immunem, abſque exercitio traducere, fruſtra quis ſperaverit. Nec ſatis eſt in potu & cibo non peccaſſe. Licet enim facilioris digeſtionis, paucioribuſque excrementis mixta eligantur alimenta, nihilominus in corpore excrementa naſcuntur & ſoboleſcunt, quæ niſi ex ipſo excludantur, intùs alunt hoſtem eo timendum magis, quòd clàm prorepit, & qualibet datâ occaſione vel minimâ vim ſuam exerit, ſtragemque infert humoribus.

Qui ſtrictas nimiùm guſtui aut appetitui imponunt leges, quam maximè culpandi ſunt, cum corpora eâ egeant ciborum copiâ, qui humoribus præbeant refrigerium, ſolida nutriant & augeant, Dum verò pauciora ingeruntur alimenta vix renovantur humores, pabulo ſufficienti defraudantur ſolida ; hinc elapſâ parte ſeroſâ, liquida impiſſantur, exſiccantur ſolida. & rigeſcunt ; dumque ſanitati invigilari creditur, mors accerſitur præmatura. Præterea ex ipſo, unde aluntur, ſucco corporis partes, ſecernuntur ſemper in iis qui temperatè etiam vivunt reſidua quadam, quæ partibus nutriendis aſſimilari imparia, foràs eliminanda ſunt.

At hiſce ſuperfluis expedire ſeſe fruſtrà tentabit Natura, niſi exercitatione adjuvetur : nam otio membra torpent, ſenſim ſine ſenſu collabeſcunt vaſa, intrà corporis penetralia ægrè admodùm circulantur humores ; hos à ſanguine vix admittunt organa ſecretoria, iis exitum denegant excretoria vaſa, ſuffocatur ferè calor naturalis : hinc ratio, cur otioſi magis quam exercitati apoplexiæ ſint obnoxii. Ergo abſque exercitio vita incolumis nequit ſervari. Qui verò vel negotiis publicis privatiſque impediti ; vel neceſſariis variarum artium operibus detenti ; vel mulieres etiam quæ ſorte ſexûs, rarò & ferè nunquam exerceri queunt, frictione, horis Medicis adhibitâ, lætantur.

III.

EXERCITIUM pro variis auctorum opinionibus, variam accepit denominationem. Exercitationem definivit Galenus (*a*) *esse motum vehementem, anhelitum alternantem.* Galenum secutus est Aëtius. Hippocrates videtur à labore non distinxisse exercitium, ait enim, (*b*) *labores cibum praecedant, & ubi fames, laborandum non est.* Averroës (*c*) contendit exercitationem, *esse membrorum motum aliquâ voluntate factum.* Exercitium posset etiam definiri, motus membrorum voluntarius vel ad tuendam sanitatem, vel ad bonum quemdam corporis habitum comparandum.

(*a*) Libr. 2. de Tuend. valetud.

(*b*) Libr. 2. aph. 16.

(*c*) L. collect.

Non unum exercitii genus complectitur Gymnastica, ars veteribus quàm maximè usitata, nobis verò nimis neglecta. Inter exercitia, alia spectant ad totum corpus, ut pilæ ludus, ludus athleticus sive palæstra; alia ad partes aliquas tantum, ut ambulatio ad pedes, remigatio ad brachia, vociferatio cantusve intensior ad laryngem, trachæam arteriam & pulmones, equitatio ad viscera præsertim abdominalia. Recensentur etiam quædam exercitationum species, aliæ magnæ & vehementes, parvæ aliæ & mediocres. Quædam breviori temporis spatio fiunt & celeres dicuntur; quædam autem longiori & lentæ audiunt.

Qui habitu robustiore & multa pinguedine referto donantur, confidenter magno ac vehementi exercitio sese committant; cum enim corpora quæ maximè nutriuntur, necessariò multa generent excrementa, nisi hæc ipsa per magnam & vehementem expellantur exercitationem, probos inficiunt humores, unde morbi quam plurimi. Hinc Galenus (*d*) inter cætera, quæ virum obesum extenuare valent, velocem cursum maximè commendat. Magna & vehemens exercitatio debilium sanitati quàm nocet! Quidquid boni ac uitlis est absumit & dissipat: hinc arefiunt partes solidæ, & vires suffocantur.

(*d*) Lib. 4 Meth. Med. cap. 15.

At verò à mediocri & lento exercitio fructum non levem possunt percipere debiles. His enim motibus, leniter agitantur humores, facili negotio ab inutili segregatur utile, gratè succutuntur solida, nutritio patæfiunt succo; hinc vegetum, succosum & pingue illis accrescit corpus.

IV.

HUC usque varias attulimus rationes, quibus probaretur, quantùm exercitium moderate sumptum sanitati prodesse, atque adeò quantas strages, quamque multiplices nimia valeret quies œconomiæ animali advehere. Diximusque motum quieti, & quietem motui, sive exercitio succedere debere. At cum non omnes omninò homines, ejus sint conditionis, quæ sinat eos nunc exercitio uti, nunc quieti indulgere, astruximus in otiosorum auxilium & salutem, quorum bona pars est, frictiones esse advocandas.

Frictionis nomine intelligitur actio cujuslibet corporis euntis ac redeuntis suprà superficiem corporis alterius.

Multiplex est frictionum species. Aliæ universales, quæ fiunt in tota corporis humani extensione; aliæ autem quæ in parte tantum, ut v. g. in brachio, in pede, &c. Adhibentur, vel siccæ, vel humidæ. Siccæ vocantur quæ solâ manu, aut panno sive sericeo, sive laneo, sive alio quocumque instrumento instituuntur. Humidæ autem, cum affunditur interponiturque quidam liquor. Possent etiam hic recenseri frictiones vaporosæ, at cum nihil sint aliud quàm partes volatiliores corporis quæ vel ex naturâ suâ, vel ope ignis in altum assurexerunt, ideo ad frictiones humidas referendas censemus.

Ex hâc brevi compendiosâque frictionum analysi quid inferendum? Nisi quod pro variis temperamentis, variæ institui debeant frictiones; pro deli-

libus, debiles; pro fortioribus fortiores. Ut enim temperamenta à se invicem discrepant, tum solidorum ratione, tum liquidorum, ita utrisque prospicere est.

Itaque frictio temperamento cuilibet apta & idonea videtur dum modo humidam in sicco & siccam in humido, &c. admoveris. At verò quantum otiosorum præsertim sanitati prosint frictiones, evincitur, quotidianâ in equos observatione. Si enim deses & otiosus sibi relinquatur equus in stabulo; si necessariâ servornm curâ careat; si tandem iners jaceat; tunc brevi torpescent membra; deliquescent vires; & superbum ante hac cursorem, vili prostratum paleâ despecies. Quod si econtra, vel leni & moderatâ exercitatione, eumdem equum exsuscites, vel frictionibus crebrò repetitis situs & squallor ab ejus cute depulsus sit; ut alacer subsultabit! Ut virescet robur! Ut accrescet animus! Cui tanta hæc tribuenda mutatio, nisi aut exercitationi, aut frictionibus? Quod quidem optimè percallebat imperator græcus Eumenes, (a) qui, cum in Castello Phrygiæ circumsederetur, vereretur que, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi: callidum fuit ejus inventum, quemadmodum stans jumentum calefieri exercerique posset, quò libentiùs & cibo uteretur & à corporis motu non removeretur. Substringebat caput loro altiùs, quàm ut prioribus pedibus terram posset attingere. Deinde post verberibus cogebat exultare & calces remittere. Quò factum est ut jumenta æquè nitida ex castello eduxerit, cum complures mensès in obsidione fuisset, ac si in campestribus & planis ea locis habuisset. Quid ni idem foret verum de hominibus? Nisi enim exercerentur, vel detergerentur, insurgeret suprà memorata malorum caterva; dum è contrario, si frictionum utantur methodo, remotissimam senectutem corpore & mente sani assequentur. Nam cum à facili perspiratione pendeat functionum libertas, & otiosi minus quàm exercitati perspirent, inde est, quod, frictionum usu, rectè peragantur & facilè functiones, adeoque firma stet sanitas.

(a) Cornel. Nep. in vita Eum.

V.

HINC colligere est quanta sit utilitas frictionum vel potius necessitas. Nec obstat quod objici posset, frictiones aliquando locum dare inflammationibus, pruritui, vel quibusdam aliis affectionibus cutaneis. Ilud enim mali dum accidit perparàm in frictiones ipsas refunderetur, bene verò in modum, quo institutæ fuerint. Si enim in temperamento debili usurpentur frictiones valentiores, tum alterantur liquida, ferè destruuntur solida, ac consequenter nedùm boni aliquid corpori accedat, imò morbus advocatur. Quod si leni blandoque motu agitentur solida, sensim sine sensu partes liquidorum nimis crassæ attenuantur, liberior fit humorum circuitus per vasa; unde alacritas & hilaritas. Nec eo tantum nomine commendantur frictiones, quod sanitatem servent, verum etiam, quod morbos avertant, cum nempe in otiosis lentorem & concretionem humorum arcent, corpusque hoc modo disponunt ad longævitatem, Itaque non immeritò concludimus,

Ergò otiosis frictio.

Proponebat Parisiis JOANNES St. JOIRE, Vallis-Coloræus Tullensis, Doctor Medicus Remensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1757, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1757.